



# LIBER IV.

## TESTUDO SICULA.

SIVE,  
FESTIVI CAROLO IL.  
HISPA NIARUM REGI,

Cùm primùm puer sceptrum  
accepisset,

SICILIÆ PLAUSUS.

O D E I.

Q UOS ORETEIS geniale sidus  
Educat terris meliore flammæ  
Crinium soles ? trepidis ubique  
Prona Voluptas  
Æstuat rivis. rediviva blandos  
Faustitas ludos parat ; & recenti  
Nectaris lapsu , niveis propinat  
Gaudia curis.

Surge , nam quæ te cohibet latentem  
Decolor muto Libitina saxo ?  
Surge , cui præbet philomela , Vates  
Sicane , laurum.

K 5

Jam

Jam PANORMÆUS ferit astra nuper  
 Creditus plectris fragor ; & secundas  
**CAROLO** nuptas Lilybæa comit  
 Gemma secures.

Te CYCLOPÆ thiasus catervæ.  
 Te vocar motis POLYPHEMUS antris,  
 Et repercussi in numerum sonorâ in-  
 cude labores.

Namque præsago STEROPES metallo  
**CAROLI** palmis gladij coruscum  
 Fulmen , & cano catapracta cudit  
 Æra Gradivo.

Plumeâ conum galea PYRACMON  
 Curvat argento ; clypeique tegmen ,  
 Et laboratas adamante firmat

Mulciber hastas.

Ut tonat plausis modulata clivis  
**ÆTNÆ** , non audis : ut amica fulsit  
 Non vides flamمام , nivibus paventem  
 Solvere foedus ?

Hinc SYMETHEI saliere fluctus ;

Hinc reclinata canit ACIS urna , &  
 Bæticis centum GALATHEA Libat  
 Oscula sceptris.

Visa festivos iterasse ponto  
 SCYLLA latratus , teneroque lusu  
 Visa ZANCLÆIS , nova monstra devo-  
 viisse theatris.

Quin coronatus radiis PELORO  
 Risit ORION , famulâque duxit

Falce

LIBER IV. 227

Falce Saturnus potiora priscis  
Omina fatis.

Proh quot acclines CAROLO SELINUS  
Educat palmas : quot ERYX profundo  
Eruit ponto teneras rubenti  
Caudice gemmas !

AGRIGENTINOS viden ut GELOI  
Provocent fastus ? Ut amica ruris  
Per LEONTINAS equitare poscat  
Gratia fruges ?

CAROLUM , nuper CAROLUM jocosò  
Reddidit , saxo resonâque lymphâ  
Fons HALESINUS , docilis canoro ef-  
fervere plectro.

Spiceas illi Cerealis ulnas  
ENNA protendit , CYANEQUE fulvo  
Stagnat electro , liquidoque CHRYSAS  
Fluctuat auro.

Veris afflatu , Zephyrique plumis  
Taeta , ter pigrum fugat HYBLA brumam.  
Terque crispatur tremulo PACHINI  
Spuma cachinno.

Ludor ? An Vatis comes ad propinquam  
Deforor Cyrrham ? Procul ite muto  
Desides curæ senio. Sicanæ

Phocidos hospes ,  
CAROLI molles modulatus annos  
CAROLI invictas modulabor hastas ,  
Sit fides plectris : erit hic IBERI

NOMINIS ATLAS.

---

## BASILISCUS SPECULO INTEREMPTUS.

*Sive,*

Labes ab auctore Adamo originem  
ducens , illibato REGINÆ VIR-  
GINIS SPECULO perculta,  
disiectaque.

### AD EANDEM DIVAM LYRICORUM EPINICIUM.

#### O D E I I .

Q *Ualis Libyssæ fulmineus fragor ,*  
*Terrorque Sylvæ , prodigialium*  
*Princeps cerastrum , è cruentis*  
*Luminibus BASILISCUS afflat*  
*Immane virus ; non sine sibilo*  
*Urente cautes , & nemorum comas ,*  
*Pœnosque rugitus , & Afris*  
*Finitimas populante palmas ;*  
*Repente præcps ille tamen ruit ,*  
*Ut sævientes in speculi sinum*  
*Deflexit obtutus , suisque op-*  
*pressus hydris violenter hausit*  
*Torvis venenum missile palpebris :*  
*Talis trisulco fulmine luminum*

*Trans.*

Transfusa prisorum parentum in  
Progenien, sobolemque labes  
Dejicit omnes. Vulnera sensimus.  
Cum dira vexit fata puerperis.  
Venâque luctus vagientum  
Polluerat libitina cunas.  
At, ut PARENTIS VIRGINEÆ nives,  
Et innocentem vedit adorem  
Florere CRYSTALLO, profundum  
Ingemuit labefacta telo  
Intaminati fulgoris. Aureum  
Tum visa primum sidera cardinem  
Liqeasse, & infantis corusco  
Molle caput religasse ferta.  
Ter sepsit igneâ cyclade lumen  
Titan Puellam. quin maculas soror  
Cum nollet argento, nivales  
Ponè pedes, teretesque suras  
Curvo pependit sideris osculo:  
Jussique passim curere candidâ  
Menses quadrigâ, mox futuris  
Opprobrium pepulere fastis.  
Haud falsa nobis Isaeii canunt  
Oracula yates: hanc fore, quæ vehat  
Aurora digressum serenâ  
Cælituum statione solem:  
Quæque incubantem Numinis infulæ  
Florem caducâ fronde coérceat,  
Trudatque Iesseâ comantem  
Areolâ sine labe Gemmam.

Et nos , quod ipsi vidimus integris  
 Testamur aris : Parva adamantinas  
 Regina præter gressa Divum  
 Ex cubias tremefecit Hydram ,  
 Ut imminentि calce ter , & quater  
 Pressit vetustae terga ferociæ ;  
 Quæ visa colligisse fractas  
 VIRGINEO pede victa spiras.

## CYCLOPS EXCÆCATUS.

Sive,

Magnæ potentia prudentia duce  
 destitutæ fatalis eversio.

## ODE III.

I Nconsultus acinaces  
 Frustra Cæsaream tangit jaspidem ;  
 Ni summo vigil excubet  
 In scepto radius. Fidere viribus  
 Tantum bellua calluit,  
 Quæ cæco didicit Marte ferociam.  
 Plures Curia Nestores  
 Poscit , quam Stenelos. Mole ruit suâ ,  
 Flacco credite Principes ,  
 Eupers consilii quilibet impetus.  
 Quoniam tuta volat freto  
 Frondentis Libani filia , turgidis

Quæ

Qœ de  
 Si ca  
 Ne et  
 Nanc  
 Magnis  
 Et n  
 Previ  
 Erba  
 Sons ca  
 Summa  
 Vis pru  
 Cogn  
 Calo  
 Atlas  
 Ut ton  
 Samon  
 Capus la  
 Seruilla  
 Flevaru  
 Xera  
 Hellepe  
 Texu  
 Adax  
 Ani  
 Invic  
 Gradi  
 Had le  
 Au p  
 Sed frus  
 Peltane

Quæ det flamina linteis,  
Si clavo viduos ducat Jasonas?  
Ne cere in scopulos ruant,  
Nantes usque prætit musculus insulas.  
Magnis rebus opus duce,  
Et mentis speculâ : terrificus furor  
Prævisus feriet minus.  
Evitata procul fata remugint.  
Sors campacta rudi vitro  
Summæ subjiciat fulcra potentiae,  
Vis prudens adamantinam  
Coget ferre basim. Non validissimas  
Cœlo supposuit manus  
Atlas , sed gravidum consiliis caput.  
Ut tonsa cerebrum comâ  
Samson depositus ; turbineam statim,  
Captus lumine siderum ,  
Servili tetigit calvitio molam.  
Fleverunt tumidi fugam  
Xerxis Thermopylæ , quod fatuus Thetis  
Hellespontiacam trabe  
Texit , ceu nebulâ. Martis aheneus  
Audax Cyrus in aleam  
Amisit Cidarium sanguineam , prope  
Invictum Tanais gelu.  
Gradivi phaleras sola regit Themis.  
Haud lævis clypei nitor ,  
Aut pictus galeæ luxus agit scythes ,  
Sed frons docta periculis  
Festinare manum. Spicula bellicas

In lauros abeunt, suâ  
 Si promat pharetrâ culta sagacitas.  
 Hæc nemo jaculabitur,  
 Qui CYCLOPS fuerit lumine saucius.

METHODII  
**A N A C H O R E T Æ**  
 TABULA.

*Sive,*

Spectacula extreimi Judicij,  
 Quibus olim BOGORIM, Bulgariæ  
 Regem, salubri metu per-  
 culsum tradunt.

*Ex Cedreno.*

O D E I V.

**C**liens Diana, Bulgarus Hercules,  
 Festinus arcu vel Calydonios  
 Terrere rictus, & minacem  
 Fulmineis Erymanthon apris,  
 Olim poposcit monstra, quibus suos  
 Expleret ignes. sed bene palluit  
 Pruritus audax, mollè fractus  
 In leporem, timidamque damnam;  
 Ut penicillo Parrhasius sacro  
 Formidolosam Numinis extudit

Ve-

Venationem. Nil Tabella hac  
 Horridius ; sed amicus horror  
 Afflat salubri Gorgone palpebras.  
 Spectator omnis saxeus hic , velit  
 Nolitve , fiet sed liquefcet  
 Flebilibus lapis iste rivis.  
 Orbis supremam picta tragœdiam  
 Theatra pandunt , summus apex flagrat;  
 Tonatque discissus trisulca  
 Diluvie ferientis Ætnæ.  
 Illic profundâ in nube suum Deus  
 Fixit tribunal. Mitius æstuat  
 Euripus , aut insanit histrrix  
 Missilibus cataphracta spinis;  
 Quam fervet irâ Numen , & ignei  
 Timenda torquet tela supercili,  
 Expavit Orion , & Arctos  
 Delituit tremefacta ponto.  
 Plaustrum Bootes fregit . Aquarius  
 Celavit urnam , retro Phlegon tulit.  
 Xanthusque solem : quasflus æther  
 Attonitis trepidavit astris.  
 Severa tantum protulit integras  
 Astræa lances ; quas tumidum nefas  
 Perhorret , Alpinâque majus  
 Mole timet tetigisse Ditem.  
 Succussa tellus Nerea sauciis  
 Admittit ulnis. summa supernatant  
 Pangæa phocæ , teritasque  
 Circumagunt maria alta lynces.

Occurrit Atlas Alpibus : Ismaron  
 Obnubit Hebrus : quin prope fumeam ex-  
 cussus Chimæram decolorat  
     Aurifluos Arimaspus amnes.  
 Verum Vesevi peste flagrantior  
 Procella passim flammea volvitur  
     Prætoris è vultu. Comantis  
         Jam Libani nemus omne tactis  
 Fumat cedretis. torrida frondeis  
 Dodona lucis sternitur , & rubrâ  
     Crystalla tabescunt favillâ,  
         Inachiis glaciata spumis.  
 Ubique clades ; nec satiabilis  
 Ubique gliscit Mulciber. Ilium  
     Heu funus æquatura sedit  
         In cineres labefacta tellus.  
 Juxta Tonantem plumeris armiger  
 Frangit severo nubila classico.  
     It clangor , auritisque passim  
         E tumulis rediviva cœlo  
 Jubet revelli funera. Cerneret  
 Hinc , & relicts inde rogis vagas  
     Repente festinare larvas  
         Ad sonitus lituorum acutos.  
 Non sic , nivosus cùm Boreas furit ,  
 Pellitque nidis æquora transvolant  
     Moestæ volucres : aut Ibero  
         Tela micant ululata nervo.  
 Hædile teturum pars numerosior  
 Distracta castis velleribus migrat

Censoris ad nutum : reclusis  
Cuique patent sua probra fibris.  
Exuberantes h̄ic lacrymas reis  
Pictura vivax exprimit , & Stygis  
Immane guttur : penè fervet  
In tabulâ Phlegetontis ardor.  
Invita centum tortilibus cohors  
Raptatur hydris : nec rigidum deest  
Lictoris à tergo flagellum.  
Quò citius tamen Orcus imam  
Sedet Charybdin , vi repetit suâ  
Trahitque fontes pestis anhelitu.  
Sic visa fortitur sepulchrum  
Vipereo philomela morsu.  
Plutonis alvum nocte coercuit  
Sagax Apelles : sed rutilo patet  
Sentina sublucens camino ,  
Quæ gelido feriat propinquas  
Horrore luces. H̄ic Tityis jecur  
Harpya vellit. Mænala Sisyphis  
Premunt lacertos ; ulceratque  
Pirithoos gravis ære nodus.  
H̄ic mugientes bos Siculus suos  
Urit tyrannos : flammœus hic rotas  
Rugitus ungues , & cruentas  
In miseros gerit ursa fauces.  
Quidquid vetustæ fama ferociæ  
Tulit theatris , Tartareâ pius  
Zeuxis coloravit favillâ ;  
Hisque malis graviora , pictis

Induxit umbris. namque nocentium  
 Pars sulphuratis innatat amnibus,  
 Picemque potat : pars rotarum  
 Vulnifico laniatur unco.  
 Pars malleorum vapulat ictibus:  
 Pars cuspidato decoquitur veru,  
 Jam jam saginatura formi-  
 dabilium Lapitharum hiatus.  
 Perennis ævi fata sequacibus  
 Incussa pœnis , cum nequeant brevi  
 Gyro coarctari , retorto  
 Fabra manus patefecit angui;  
 Cui spira flexum curvat ; & obviam  
 Morsura caudam lingua ferox suum  
 Per claustra favientis Orci  
 Perpetuum vomit ore virus.  
 Hæc ut profundo vulnere territus  
 Aspexit olim Rex BOGORIS , comâ  
 Excuslit aurum ; sicque mutâ  
 Mugit exanimatus aula.  
 Heu ! quæ dolorum vena recens meos  
 Inundat haustus ? obruor , obruor  
 Metuque luctuque , & ruentis  
 Excidio interituque mundi.  
 Ergo profanas post senii nives  
 Ardebit ingens , ipsa sibi suum  
 Futura fumosum cadaver ,  
 Et feretrum sociale tellus?  
 Cur astra pallent , & mutilo latet  
 Tenone Phœbus ? cur trifidis hiant

Nubes Vesevis ? cur fatiscunt  
 Vulta suis elementa claustris ?  
 Agnoscō luctus pabula : siderum  
 Ab arce Numen fulminat. heu ! levem  
 Tanti furoris vel favillam  
 Quis trepidâ sine fronte tangat ?  
 Me flagitatis Acroceraunia  
 Condant ruinis. Me fragor Adriæ  
 Demergat , occultentque vastis  
 Visceribus scopulosa cere.  
 Quacunque fatum merce mihi petam ,  
 Ne me Tonantis lumina terreat.  
 Feris cruentatus , vel arctis  
 Implicitus latus omne squamis ,  
 Peribo certè gratius. At negat  
 Dodona torvas trudere belluas.  
 Vel ipsa sœvit , quod citatis  
 Diffugiat Libitina plumis.  
 Cur ille , qui me nunc lituus mori  
 Compellit , idem funereâ situm  
 Vocabit urnâ ; parce seros  
 In cineres agitare tristem ,  
 O Dive , tedam. siqua tibi micat  
 Scintilla risus , annue. ludimur ?  
 Nulla soporandas querelâ  
 Ille suas mihi clausit aures.  
 O spes recisis arida frondibus !  
 O scena fletus ! O Erebi dies  
 Recusa fabris ? ô dolorum  
 Bruma ferax , Stygiæque pallens

Aurora noctis ! sustineam miser  
 Tam luctuosi funeris exitum ,  
 Christique fulmen , quem Tabellâ  
 Sic cruciat male pictus horror ?

## TRIDENS MAMERTINUS

in Xiphiam.

## ODE V.

**G**lauci satelles armiger , Orion freti ,  
 Rhinoceros Thetidis ,  
 Scillæque latratus cliens ;  
 Inauspicatus spumei terror gregis ,  
 Dum geris inter aquas  
 Ensem Cometa squameum ,  
 Gave Charybdin , & Pharon Trinacriam .  
 Quæ tibi tela rotet :  
 Huic pingue debes ferulum .  
 Frustra profundi gurgitis specus amas ,  
 Mox , veluti gladio  
 Munitus , in summo natas ;  
 Mollesque lusus hinc , & inde dividis ,  
 Assimulante tuis  
 Plausum choreis Æolo .  
 Nam defluus saturniâ chalybs manu  
 Inque tridentigeram  
 Cessisse visus fuscinam  
 Fatalè squamvis fulminat . Zanclæ licer  
 Conditor Oarion  
 Muctonis hæredes velit .

LA.

L A N I S T A  
T H E O - P O L I T I C U S

Christianæ Gladiaturæ leges  
promulgaturus.

A D J U S T I N U M G E L A M.

O D E V I .

**H**ic , seu bella velis , seu renuas , GELA ,  
Pugnandum est . procul hinc exulat otium ,  
Et secura quies . Plurimus , ac frequens  
Hostis ; quem metuas , ipse tibi es . Negas  
Tecum posse ferox ducere prælrium ?  
Nunquam victor eris . non alio viret  
Laurus cæsa solo . Viceris omnia  
Vaticanus eques , Romula si Fides  
Ensem præbuerit : cui latus , & diu  
Gradivi cupidam subjicias manum .  
Hoc temet fodias tutus , ubi tumet  
Arcanæ tigridis felle ferax jecur .  
Quod si læsus honos vindice flagitat  
Sanari gladio ; turpe volantibus  
Laryas fige probris . has male linceas  
Nunc punctum ferias , nunc celer in minas  
Cæsim fulmineâ cuspidé polluas .  
Retrosum refugo sæpe juvat gradu  
Vim librare prius : mox ter , & amplius

Mox

Moliri chalybem , dissilientibus  
 Hinc , atque hinc radiis. Si querimonias  
 Sic , JUSTINE tuas fregeris ? osculum  
 Libabis Gladio , qui Patientia  
 Victricis didicit tangere baltheum.

---

### ORGANUM HYDRAULICON.

*Sive,*

D. MARIA MAGDALENA;  
 de qua hæc habet D. Petr. Chry-  
 solog. ser. 93. ORGANI plan-  
 etus dat clamorem.

### O D E VII.

NAM quis fatiget vivida gratius  
 Fletus canori Nablia , quām fabri  
 Pollex Tonantis ? huc reclinis  
 Ponè pedes , humilesque CHRISTI  
 Accede suras MAGDALA , roscidam  
 Datura tristi lumine næniam.  
 Suave plorabis , pudico  
 Si dígito patiare tangi.  
 At non perennem fordida lacrymis  
 Canes querelam. Tactus ab osculis  
 Pes ille lætum destinabit  
 Flebilibus modulamen undis.

SPHINX

## SPHINX RUSTICA.

*Sive,*

**Pastorum Ænigmata,**  
 Mutua altercatione in certamen  
 adducta.

*Elegarij***TITYRUS, MOPSUS, NYCTILUS.***Carmen Lyrico-bucolicon.*

Ad D. D. JOANN. CRESCIMANNUM,  
 Equitem Siculum.

## ODE VIII.

**S**YLVAS Phœbus amat : me quoque villicum  
 Urbanas pigeat visere porticus.

Sæpe est umbra myrica

Picto fornice gratior.

Cur testudinei carmen anhelitus

Haud vincat gracilis gratia fistulae;

**CRES CIMANNE**, cicadis

Cur nos præferimus cycnos?

Est & sylvicolis vis sapientiae

Non ingrata. Suis tintæ leporibus,

Quamvis rustica, Pallas

Magnis exulat atriis.

Audi quam cecinit **TITYRUS** eclogam,

Adversamque ferens **MOPSUS** arundinem

L

Quæ

Quà sylvestre theatrum,  
 Prisci DAPHNIDIS exedram  
 Sepsit laurigero scena choragio.  
 Hinc se fons patrij dividit HIRMIN<sub>L</sub>  
 Qui SICLÉNSIBUS arvis  
     Nudavit vitreum pedem.  
 Tam nosces Siculis quanta mapalibus  
 Sit non illepidæ vena scientiæ:  
 Quæve infusa bubulcis  
     Siren garrula ferreat.  
 Post antiqua rudis semina jurgij,  
 Hi fortasse pates ludere , rusticam  
     Pastores in arenam  
     Descendere , reconditis  
 Arguti salibus. Judice NYCTILO,  
 Nemo non meruit frondis adorem.  
 Ergo mutua sic se  
     In certamina provocant ;  
 Ut credas geminâ cuspide cornuum  
 Luctari Satyros , quos Acheloix  
     Specat , non sine risu ,  
     Cultrix Nympha malaciæ.  
 Ti.Cur non labra domas ? Pan Lilybæus  
     Ægon , MOPSE , tuis cedat ineptiis ;  
     Cui dat bubo loquela ,  
     Fuscat noctua palpebras ?  
 Mo.Quò mens , & cerebrum ? vincet Elorium  
     Damœtam calamo dispare TITYRUS ;  
     Cui tornavit Apollo  
     Duro e stipite verticem ?

Ti.

Ti. Nil verbis opus est. pugna probat viros.  
Huc descende sehex NYCTILE; prælij  
Sis spectator, & hosti  
Barbæ vellus adurito.

Mo. Conflictum metuam? Nyctile, Tityrum  
Cogam succiduum sternere poplitem.  
Tum clamabimus, hirco  
Fastus cornua demito.

Ny. Pacatis pueri ludite viribus.  
Odit bella Pales. gaudet Etesis,  
Quod pugnacibus Euris  
Discerpi metuit, nemus.

Ti. Te certem vacuus: do tibi faginum;  
Quod scalpsit Celadon Dalmata, poculum;  
Si me viceris: at tu  
Quonam pignore luseris?

Mo. Segnes rumpe moras: incipe: Delphicam  
Si laurum rapias; haec tua sit rubro  
Cervi e tergore pera,  
Fulvis aspera fibulis.

Ti. Dic, quænam Phariis bellua rupibus,  
Et sis Niliaco major Osiride,  
Potet dulcè reclusis  
Longum Morphea lucibus.

Mo. Dic, quænam Libycis bellua vallibus;  
Sisque Atlantiacâ fronte superbior,  
Lymphis Iota salutat

Flexo poplite Deliam?  
Ti. Quæ sit gemma, rogo, (nuper ad Himeram  
Vidit fuscus Hilas) quæ sibi glutinet,

Dum tangat modo , culmos  
Imæ cuspidis osculo ?

*Mo.* Quis sit quæro lapis , (nescio quis palam  
Prompsit nauta foro) qui sibi nuptias  
Ferri poscat , & arcto  
Secum copulet anulo ?

*Ti.* Addam bina meo sarcula cymbio :  
Hæc te quippe later fabula : quis puer  
Vectus forte curuli  
Delphino secuit Thetin ?

*Mo.* Cum perâ Samiam ponimus hydriam :  
Dic (non hæc temere ficta) quis arduum  
Vir trajecerit usus

Plumæ remigio Jovem ?

*Ti.* Non id vel senior novit Alexius ,  
Quod vidi hisce oculis attonitus puer ;  
Quo sub germine vernam  
Chloris circinat iridem ?

*Mo.* Hoc Delo genitum præter Apollinem  
Scit nemo : Lycidam teltor , & Ornithum ?  
Quo sub flore virescunt  
Pictis sidera crinibus ?

*Ti.* Novi quæ patrio planta nocet solo ;  
Sed transmissa vetat toxica fætibus.  
Hanc ostende ; Sicanus  
Dicēris Podalirius.

*Mo.* Est arbor modicis frondibus efficax  
Enervare truces ; si tegat , aspides.  
Hanc si dixeris , anguem  
Te credent Epidaurium.

*Ti.*

- Ti.Dic; quænam senio deficiens avis,  
Quidquid spirat Arabs, corticibus legit,  
Susceptura crematis  
Vitæ semina cinnamis?
- Mo.Dic, Pelusiâ quæ volucris plagâ  
Rostro pectus arat? sic animat suos  
Fuso sanguine pullos  
Cæsâ matre superstites.
- Ti.Penè objecta refers! dic age, montium  
Cui sit calva cutis summa; sed intimis  
Venâ divite flavum  
Pignus claudat in iliis?
- Mo.Non excussa statim tela retorqueam!  
Sic pugnare libet. Dic, ubi inhospitas  
Mons attollit arenas  
Atris imbribus, & Noto?
- Ti.Triton alter eris, si mihi delegas  
Quod Thelgon docuit navita: Quo duc  
Cete immania vitent  
Syrtes, & vada fluctibus?
- Mo.Phorco major eris, teste Palæmone,  
Sub quo rem didici. Dic igitur palam.  
Quænam parva volantes  
Sistat squama liburnicas?
- Ti.Num vicisse putas? falleris altius  
Librabo jaculum. Dic, ubinam palus  
Terrum spiret odorem,  
Qui fert alitibus necem?
- Mo.Me terrere nequis. nubila dividam,  
Pugnax inde ruam. Dic, ubinam latee,  
Quod

246 LYRICORUM

Quod carchesia stagnum  
Quamvis ferrea perforet?

**Ti.** Hunc vertas lapidem; sisque Lino satus.  
Quænam Gnossiacas arbor amat plagas,  
Imis gratori Umbris,  
Morsu intacta teredinum?

**Mo.** Hanc scindas nebulam, sisque Jovis nepos;  
Quænam planta comam nutrit in Algido  
Musis grata, trisulcis  
Uti nescia spiculis?

**Ti.** Novi, quæ jugulet bellua filios,  
Dum stringit fatuis pignora brachiis.  
Hanc si dixeris, albis  
Frontem cinge rosariis.

**Mo.** Novi, quæ catulos turpè rudes fera  
Lambat; donec avo sint similes suo.  
Hanc si vaticineris

Crinem nubibus inferas.

**Ti.** Dic, cur lac ovium si tigris ebibat;  
Amittat patriæ jura ferociæ?  
Curve objecta furentem

Reddat rubra chlamys bovem?

**Mo.** Dic, cur si eoluber spectet aëdonem,  
Sensim vipereo pertrahat halitu?  
Pallescantve leones

Si gallus vigil obstrepat?

**Ti.** Num sit, scire velim, fervidioribus  
In terris regio; quæ pluviis inops,  
Nunquam figere Cœlo  
Cogat lumina villicos?

**Mo.**

*Mo.* Num sit forte procul, TITYRE, quærimus,  
In terris pelagus, quod rigeat gelu

Sic, ut navita stellas

Cursus non habeat duces?

*Ti.* Ni torpes oculis; dic age, dic, mea  
Cui sit forma feræ concolor? hinc potes  
Explorare vicissim

Quæ sit moribus indeles?

*Mo.* Si quid mentis habes; dic mihi, quot dies  
Hæc signet mediæ linea dexteræ?

Aut quæ fata supersint,

Quonam tramite detegat?

*Ny.* Sat certastis adhuc, & lerido quidem  
*Ot.* Congressu, pueri; parcite jurgiis.

Lauru dignus uterque

Phæbo proximus assider.

Surgamus. Senio fractus enim dies  
Festinat tumulo condier & satis

Vestro in fonte leporum

Oti tædia mersimus.



SAMSON TRUSATILEM  
PISTRINI MOLAM VERSANS.

*Sive,*

Pravi CUPIDINIS VERTIGO.

AD FLORUM TOLETANUM.

O D E I X.

UTroque captum sidere credidit  
Tunc, Flore, cæcus *Samso Cupidinem,*  
Cum flere vellet; sed revulsis  
Luminibus sua damna nunquam  
Lugere posset. nec veritas modo  
Sensit, doloris pharmaca, lacrymas:  
Coactus in gyrum lacertis  
Turbineam pepulisse cautem,  
Amisit omnem forte volubili  
Mentem cerebro. Fervida Cyprij  
VERTIGO temonis laborat  
Dedecorum tetigisse metam.  
Ubique, sic est, circumagit suas  
Mens cæca Diras. sospitis ingenii  
Quiescit in centro, profanis  
Qui metuit rubuisse flagris.

IN-

IN URBANÆ  
RUSTICITATIS  
AMULETA.

*Sive,*

De Theo-politico morum cultu  
Monita.

AD PAULUM DOMITILLUM.

O D E X.

HUC verecundæ, docilisque venæ  
Dives accedas, cui nulla fallax  
Gutta nativam vitiavit atro  
Rore papyrum,  
PAULE, quæ priscis patuere quondam  
Civibus postes, docuitque pulchros  
Patriæ ritus, seriemque morum Ur-  
bana Venuſtas.

Illa, ne cultus nitor, aut deſſet  
Norma censuræ variis Quiritum  
Rebus, hæc cæſis adamante fixit  
Jura tabellis.  
Prima lex Divūm jubet & Tonantis  
Exequi nutus, malè nutat astris  
Diffidens cervix, superosque mordax  
Rodere frœnos.

L 5

Ante

Ante votivas adolescat aras  
 Pertinax Æqui, Fideique robur;  
 Quæque formidat Pietas profanæ  
 Fata pruinæ.

Phosphorus fulvas ubi vexit horas,  
 Rite surgendum. Sybarita solem  
 Turpè nec vidi puerum, nec albâ  
 Fronte caducum.

Inter aptandas teneris decentes  
 Artibus vestes, famulæ pudori  
 Særviant luces. vigil ille claudat  
 Consul ocellos.

Haud diu pugnax ebur innocentem  
 Torqueat crinem: satis ille pexus  
 Inverecundum quatiet soluto

Terga flagello.

Ante quæm lotus gelida nivales  
 Merferis malas, memor esto fletu  
 Supplicis palmæ penitus latentem

Tergere labem.

Comptus, ut temet deceat, paternis  
 Exeas tectis, humeros tegente  
 Pallio, lœvam nec amet galerus

Urere frontem.

Templa visurus finito decorum  
 Pulverem lambat geminus reclini  
 Poples atritu. sibi poscit hæc li-  
 bamina Numen.

Inde, dum castas humili querelas  
 Sibilo pascis, caye ne petulci

Dif-

Diffluant nutus , fatuoque peccent  
Lumina saltu.

Mollè submissum caput aut sepulcro  
Figat , aut aris bene feriatum  
Flectat obtutum. renuunt procacem  
Sidera cultum.

Iessus orando sileas. profanat  
Sacra garritus , vel inambulantis  
Error incessus , & adultus imo è  
Splene cachinnus.

Rore lustrali madidam facello  
Exeras frontem , facilemque flecti  
Verticem : prosunt iterata pictis  
Oscula valvis.

Mox , ad occursum equitum , venustos  
Alloquì ritus , hilaremque vultum  
Effer. Urbano malè rusticatur

Ruga sereno.

Indolem canam Pudor , innocentem  
Detegat Recti tenor , eruditam  
Parca dicendi sitis , & modestæ ar-  
gutia linguae.

Obvio cedas senio puerus:  
Flava lanugo venerata canos  
Mitius vernat , Pyliosque poscit  
Neftoris annos.

Cur tibi Graium bene docta χαῖρε  
Pica dispensat? nisi des , & ultro  
Blandus acceptam referas equestri  
Lege salutem ?

Libret examen , statuatque quid jus  
Eloquî poscat. violat latratus  
Næniæ lætos , hilarisve tristes

Vena fôdales.

Somniis fauces , jugulumque tetricis  
Rebus elidas , simulare balbum.  
Dedecet Battum ; fatuove missum

Stentore murmur.

Neminem ludo , salibusque lædas.  
Jurgiis cautam retrahas phaselum  
Fida confestim reddit ad silentes

Anchora pilas.

Stirpis oblitus videare , ne te  
Turbidum jaëtes opulentioris  
Filiam sylvæ , cui ridet auro

Prora , liburnam.

Zoilos odi. nimius dolabrâ  
Sermo lævandus. tenerus cruentat

Asper attritus satyræ decoro in  
Caudice laudes

Et suas fas est Paphiis recudi  
Compedes Musis : quoties petulcum  
Succinet carmen , vomet execratam

Lingua mephitim.

Sis tui vindex , ubicunque vocem  
Fuderis , censor : tua ne vel unguem  
Trans verecundi monitus Honesti

Diffluat ætas.

Sera solvendum monet hora cœtum :  
Tunc columbinum **VALE** fuit amici

Signa

## LIBER IV.

258

Signa discessus , simul & futuri

Fibula nexus,

Ante quām parcā dape colligendas

Fulseris vires , superos regenti

Dexteræ nunquam peritura gratus

Oscula figas.

Illa gemmas locupletiorum

Novit , & parvas hilarare mensas

Sic inassuetis volitare præbet

Prandia nidis.

Inter explendam patinis orexim

Inferas Cœlo generosiorem

Mentis obtutum , videaris ut con-

viva Tonantis.

Ergo servetur modus. Abstineto

Aut tumescentes onerare malas,

Aut rudes imâ stomachi lacunâ c-

ducere ructus.

Respuas tostis properare mitem

Oris afflatu dapibus teporem :

Aut inhærentem digitis suillam

Lambere pernam.

Nil viti stratum toral , & nivales

Ebiant mappæ. sterilem comarum

Falle pruritum. pluit usque tacto

Vertice furfur.

Lesbius Nymphas amet , & liquentū

Flagret argento. sitis ipsa cautum

Hauriat nectar : madidæ profanant

Pocula nares.

Sit satis cuiquam geniale parvis  
Sumptibus robur reparasse. prodest  
Mensa frugalis , modicoque crater  
Tinctus Iaccho.

Persoluturus famularè pronas  
Numini grates , memoresque ritus  
Surge , protractas vigilata damnat  
Luna lucernas.

Cùm suum Morphæus quatiat papaver ;  
Det tibi fesso solymæa gratum  
Myrrha cerycal , paleisque dives  
Stramina Bethlem.

Hic soporatis fine fraude curis  
Otium duces , quod amica divum  
Si tegat pubes ; similes amabunt  
Sidera somnos.

Quisquis hæc cultus patiens tuerit  
Jura , civilem sibi sortiatur  
Tesseram , nostrumque terat recluso  
Cardine limen.

In subagrestes Nemesis flagellum  
Torquet , & longè fugat hinc catervas :  
Rusticæ nequid maculæ togatas  
Polluat urbes.

):( o ):(

LOE-

## LOEMOCOMIUM ETHICON

Agrestium morum contagione pol-  
lutis civibus reseratum

Ad eund. PAULUM DOMITILLUM.

## ODE XI.

**N**Il satis cautum, DOMITILLE; clausis  
Urbium valvis, solidoque legum  
Ære munitis patuere laxo

Cardine fœdis

Moribus rimæ. maculosa tabes  
Clanculum repit, niveosque ritus  
Afflat. Agrestes adhibenda vis est

Major in hydras.

O suburbano quis ab amne Vates  
Thraciâ attollat scopulum querelâ,  
Rusticis qui sit viriis alieni

Carceris horror!

Nulla Dircæum generosa buxus

Urget hæredem? properate currum

Phocidos, Nymphæ. Videor propinquia ad

Fluminis æstum

Nitier, Phœbo gravis. Obsequentes

Ut lyrae passim famulantur undæ!

Ut recollecti medio dehiscunt

Gurgite fontes!

Fal-

Fallor ? an sensim scopulosa cautes  
Ad preces plectri per aquosa promit  
Stagna suffultam triplicis metalli

Aggere turrim ?

Surge Thebanis modulata nervis  
Arx sub obscuros domitura posthac  
Civium cultus. Tonuit decorâ

Saucius irâ

Consul Urbanæ GALATEUS Aulæ;  
Qui profanatos tremefecit acri  
Classico cœtus nizidisque jussit

Cedere rectis.

Jamque turmatim tua claustra pulsura  
Vulgus irrumpit , glomeratque putrem  
Halitum , qui jam feriat nigranti

Labe Pudorem.

Ut solum saltu fodit ! ut relaxat  
Nunc giganteo , modo crura parvo  
Arctat incessu , pedibusque flexis

Verrit arenam !

Ut volatueros furiale quassat  
Verticis crines , agitatque passum  
Pensiles , nullo cohibente legum

Vimine , palmas !

Hic retroversum cubito sodalem  
Arietat ; curvo nocet alter ungui :  
Alter hirsutis senibus nivosum

Gausape palpat.

Ferculis pingueam sibi pulsat alvum  
Ille , mox dorso comitum reclinat

Turpe

Turpe cervicem , fatuosque gaudet  
Fingere ronchos.

Pars statim cœptum sociis protervâ

Voce sermonem fecat , infacetos

Pars amat ludos , & adulta fictis

Jurgia nugis.

Proh quot examen rude rusticanis

Sordibus marcat ! stabulasse credas

Arcadum caulis , scythicâve descessisse catastâ.

Ita lymphatum pecus , ite. Qui vos  
Urbe dignetur , dapibusve ; cum jam  
Sponte Phineas sibi vestra poscat

Cœna volâtres ?

Heu verecundas juvat helluantis

Instar Hylæi jugulare mensas ,

Et Palatinis Lapitheâ probra inferre lucernis ?

Num quis hîc vestrum fugit aucupari

Proximo pultes socio ? vel unctum

Pollicem labris , vacuasque furtim

Lambere lances ?

Neminem (testor rabiem palati)

Osseas morsi lacerare costas ,

Aut pudet rosas jaculare , vasto è

Guttura baccas.

Hic cavo pingues digitos salino

Mergit , impexum caput ille cultro

Scalpit , aut ungui sibi prurientes

Vellicat aures .

Ferream nondum subiistis arcem,  
Civium tabes, & hiulca morum  
Monstra, conceptum vomitura tetro af-  
flamine virus?

Ite, sublimem scuticam propinquuo  
Extulit templo Pietas: cachinnos.  
Illa, nec, laxis patitur lupatis  
Fervore lusus.

Odit ingratum, minimèque flexum  
Poplitem Divis, stolidosque fastus,  
Et cerebroso puerilè fixum in  
Crine galerum.

Quin Dioneum juvenilis ævi  
Vulnus, & stultas inhibere luces  
Ausa, civilem domuit favillâ  
Vindice Lernam.

Cur inoffensum tremuere motis  
Fana delubris, saliuntque cælo  
Urbium postes, & ad has triumphat  
Curia Musas?

Omen agnosco niveum. Profanis  
Civibus carcer reseravit alvum,  
Terque turritam cohidente clausit  
Vortice rupem.

\* \* \*

LIBI-

## LIBITINÆ TORUS

Ad coërcendam sepulcrorum superbiā humi constratus.

## AD PYRRHUM ALBANUM.

## ODE XII.

**F**as est, PYRRHE, Carystio  
Divum fana tegi frigore, queis tholum  
Illudat Phrygius silex,

Et pilas Parij damna supercilium  
Guttata nive fulciant.

Cur nunc Oebaliis cæsus honos jugis  
Affectat tumulis putrem

Enutrire sua laude superbiam?  
Num tanti cineres, velint

Ut Pelusiacis otia molibus;  
Et grandescere sumptibus,

Quos fixit locuples Caria nubibus?  
Num Lethen cohibet Myron?

Num sopit tenebras Manibus artifex  
Prisci dextera Phidiæ,

Aut Nilus veterum cultor imaginum?  
Pallenti satius brevem

Sortita est tumulum vipera succino;  
Quam pellex Phariæ domus:

Quæ postquam geminis ebibit anguibus  
Vicitæ

Vicitæ fata ferociæ,  
 Regali jacuit pyramidum sinu.  
 Nequicquam sibi consulit  
 Fastus post obitum ; si vacuo statim  
 Nox invisa cubat rogo ;  
 Nec parcit tenuem rodere fabulam  
 Emptæ nænia præficæ.  
 Pugnax interea funus in aridum  
 Molitur caries situm,  
 Quem non Assirij corticis uberes  
 Enervent lacrymæ , suis  
 Nec frangant Cilicum dona vaporibus.  
 Hinc altas Latij pyras  
 Irridet volucris , cui reparabilem  
 Inter cinamma Delius  
 Accedit radiis missilibus necem.  
 Odit vel Babylonio  
 Suspendi feretro sat sibi splendidum  
 Nactus carcere serico  
 Bombix interitum ; nec fatuum semel  
 Exprobrat tumuli decus  
 Æquantis Pholoën , seu Rhodopeium  
 Mistum sideribus caput.  
 Si natura rudi nos genuit luto ;  
 Cognato liceat solo  
 Devotam cineri reddere sarcinam.



## PHILOTESIUS CRATER

A PYLADE PROPINATUS.

*Sive,*

Veterum simultatum oblivio

AD CRISPUM GALEANUM.

## ODE XIII.

**I**Nfida fraus est, CRISPE, silentii  
 Muto prementis carcere nenia  
 Quassare valvas, & reclines  
 Sarcophago pereuntis ævi  
 Urgere rixas. Saepre recruduit  
 Exasperatum, quod neque Poones.  
 Nec ipse leniret Machaon,  
 Nec Cilicum panacea, vulnus.  
 Frustrare preslo gutture noxiun  
 Iræ crientis prælia somitem:  
 Ne forte recluso per artus  
 Impatiens fluat ore virus;  
 Magisque fractis inde repagulis  
 Exundet ardor, non reparabilem  
 Misurus Ætnam, quæ ministret  
 Aptæ suis alimenta damnis.  
 Adhuc recentes flet Lilybe suas  
 Eversa clades, sulphureus simul

Pul-

## 262 LYRICORUM

Pulvis lacestitus favillâ  
 Turbineos glomeravit æstus.  
 Adhuc Pelasgis Ucalegon vetus  
 Fumat Vesevis. at feret altius  
 Ardor querelarum ruinas,  
 Ni domitis requiescat hydris.  
 Neglecta laxis rima liburnicis  
 Cæco carinas mersit in Adriâ,  
 Imisque phocarum cavernis  
 Composuit Libitina nautas.  
 Eheu vetustos penè adamantino  
 Doloris ignes scalpimus Isimaro :  
 Quos spectet indignante vultu  
 Pejor avis, atavisque proles :  
 Ultura ferro vindice sospites  
 Nævos parentum si PHILOTHESIAM  
 Cratere gemmato, Sodales,  
 Ebibimus sine face Lethen;  
 Cur in cruentam præcipites agit  
 Exulceratrix cura tragœdiam?  
 Cur tristis occurrentis imago  
 Gorgoneos jaculatur angues?  
 Tigres ovino læte ferociam  
 Mollire norunt. vipera Creticos  
 Si libet amnes, nulla potat  
 Innocuis aconita spiris.  
 Nil est decoræ quod vitiosius  
 Sodalitatis foedera diluat  
 Quàm rite pacatis tetrosum  
 Mota iterum Camarina stagnis.

Atra

Atrâ tumentem bile proterviam  
Frangamus ultro. Non ego civium  
Dignabor urnâ , qui Thyesten.  
Aut Lapithas imitatus urat  
Inexpiatis ferculâ prædiis.  
Olim sicanis jura Quiritibus  
Si forte Damou insulatus  
Dalmatico perarasset auro,  
Suos Orestes , & Pylades suos  
Eryx haberet : uer siculus Cyclops  
Fumaret accensurus ensi  
Fulmineam , GALEANE , bilem.  
Sic foederatis nobilior foret  
Tutela tectis fida sodalitas ;  
Quâm turris æquatura Calpen ,  
Aut solidis Helicona clivis.  
Non jurgiorum Marte domestico  
Fugandus hostis ; sed coëuntibus  
In bella castris , quæ togatos  
Haud gladio secuere nodos.  
Non vi , nec armis proruit alites  
Jovis ministras sed socialibus  
Plerumque rostris , cygnus audax  
Unanimes properare plumas.  
Martis sicanî poscit adorem  
Quicunque magni Cæsarîs æmulus ,  
Oblitus ulcisci recusat  
Compositum refricare vulnus.

TITHONUS IN CICADAM  
CONVERSUS.

*Sive,*

Senex garrulus.

IN PYRRHUM MARSYAM,  
ineptissime deblaterantem.

O D E X I V.

E T me Phœbus amat : quippe meis dedit  
Detersis Lycio pollice palpebris  
TITHONO similem , cernere MARSYAM  
Parvis cruribus alitem.

Sed , ne longa caput nænia læreret ,  
Aures Dædalo vellere muniit ,  
Præclusitque fores. Jam cruciantibus

Tuta est janua sibilis :  
Nec vel rima patet proh niveum diem !  
Evasisse juvat trilte : fabellica  
Quod Flacco cecinit saga periculum.

Nusquam sospes eram miser :  
Quocunque instabiles intuleram gradus  
Hærebat lateri PYRRHUS , ut ulmeis  
Inserpit foliis Lesbius , aut cavam

Smilax obsidet esculum.  
Tum , Pelusiacus ceu fragor accolas  
Insternit pavidos , me tumidus senex

Ter-

L I B E R   I V .   265

Terrebat stolidæ vocis anhelitu , &  
Spumâ futilis eloquî.  
Incassum , fatuis M A R S Y A , septies  
Clamabam monitor sedulus , abstine  
Nugarum phaleris : hæccine splendidam  
Barbæ canitiem decent?  
Ediscit tacito plura silentio  
Secum sueta loqui mens. Ubi Spumeos  
Excludit strepitus Albula , vitream  
Rerum pandit imaginem.  
Inter Niliacas Isidis assidet  
Aras Sigalion , Gloria , mellei  
Roris more ; fluit : ni tamen Æolus  
Obmutescat , in aridas  
Convertit lacrymas gaudia nectaris.  
Cornicem ipsa suam , quod fibi garrulis  
Difflaret modulis otia , reppulit  
Doctis Pallas ab atriis.  
Nusquam tuta fides vocibus : anseres ,  
Cum Tauri Cilicis terga supervolant ,  
Saxo rostra domant ; ne famulas Jovis  
Clangor fuscitet alites.  
Proclivis luteo volvitur alveo ,  
Quamvis munifico rore vehat Tagum ,  
Quæ ficco madidam margine rarius  
Sistit lingua licentiam.  
Ergo fige modum turpiter uido  
Garritus stimulo. perfliuit undique  
Rimarum impatiens : cum tua mollibus  
Haud solvatur Etesiis ,

M

Quæ

Quæ crines onerat stria , candido  
 Circumfusa gelu. Ni cohibus tuam  
 Æstivæ volucris, PYRRHE , proterviam:  
 Ne te Pythagoras , cavae.  
 Claudat sub piceo , quem tibi destinat,  
 Auritum Cyane Sicana carcerem ;  
 Donec bruma , neciconcolor , urgeat  
 Spretum flere silentium.

---

## LEGES CONVIVALES.

AD POLYDORUM GALLUM.

## ODE XV.

**L**Apitharum est epulantum, POLYDÔRE,  
 Furiali tumefactum jecur irâ  
 Stimulare , & maculandâ meditari dape  
 rixas.  
 Pudet ensem temerè actum volitare ,  
 Et Iacchi pluvialis prope signum  
 Ululanti lacrymosos dare ludos Libitinæ.  
 Cleopatrae liquefactos veto luxus  
 Erythræos. Satis est cùm latrat alvus  
 Cichorea , aut malè pinguis gula baccis  
 olearum.  
 Patinarum rude pondus notet omnes  
 Eore quondam perituri grëgis umbras.  
 Epulares Pharus horas onerabat cyparissis.  
 Cave

Cave Bacchum famulantem Cythereæ.  
 Erycini vice tali , genialem  
 Sine mensam moderetur sibimet mens do-  
 minatrix.  
 Quot eadem simul urnâ rigat humor,  
 Vel eadem focus explet dape , reddat  
 Tot Orestes , & Juli patre dignos tot  
 Achates.

---

P A P H O S  
 TERRÆMOTIBUS EVERSA,  
 Eo , quo DIVINA MATER CON-  
 CEPTA est , Anno.

Ex Joan. Bapt. Masculo Soc. Jes.  
 In D. Hieron.

Sive,

Erectum Pudicitiae sub infantis  
 Reginæ Virginis auspicio  
 Capitolium.

A D SODALES PARTHENIOS.

O D E XVI.

A lbis Phlegontem Phœbus ephippiis,  
 Crinemque laxum compsit , ut effedo  
 Vectus triumphali , rediret  
 Nazareo redimitus igni ,  
 Quo mugientem scissa sinum die  
 Nutasse tellus creditur , & PAPHON,

M . 2

Ad

Ad usque tangendos latratus  
 Cerbereos , tumulavit alvo,  
 Sensit profecto Virginis asperam  
 Manum puellæ , vi validissimâ ab  
 Imo pavimenti profanam  
 In cineres quatentis urbem.  
 Fragor ruinæ versus in entheum  
 Poëana Divæ , ter salientibus  
 Sublimè saxis , inque nexus  
 Dædaleos adigente lusu ,  
 Eduxit arcem ; quæ Capitolij  
 Furata frontem ; Virgineas iter  
 Molliret ad palmas , in altum  
 Parthenio subeunte curru.  
 Hic hospitales moribus aureis  
 Cunas Honestum stravit , & indolem  
 Pudor verecundam , SODALES .  
 Ingenuo rubefecit ostro.  
 Custos modesti cura supercilî ,  
 Piæque mentis candor eburneam  
 Hic fixit ædem ; quam ligustris ,  
 Et roseo tegat imbre simplex  
 Cultus pudici gratia. Constitit  
 Hic æqua pulchris pollicitis Fides ,  
 Et fas , & inconcussa frangi  
 Vis animi , licet hinc , & illinc  
 Diffibulato cardine mugiat  
 Lapsurus æther , inque Jovem fremat  
 Neptu-

Neptunus , evulsamque tellus

In Theridem jaculetur Idam.

Ne quis triumpho deficiat dies  
Datur teneri culmen ab omniaibus,

Quicunque vicerunt cruento

Cyprigenam , sobole inque bello.

Pars hic pharetram , & tela cupidinis,  
Fractosque pulchro pollice Cyprios

Suspendit arcus , quos pudico

Terreat , examinetque flagro.

Pars , ut columbas fudit , & alitem  
Fastum profanis vellit oloribus,

Casto Cythereæ curules

Exuvias adolevit igni.

At non aheno parta teruncio

Hæc palma dives veniit. aureo

Quæsita votorum metallo ,

Sanguineis sterit illa rivis.

Pars fixit imis unguibus assulas ,

Spretura mollem Cypridos anulum.

Pars , ne coronati rosetis

Deficerent , subiere vepres.

Quot decolors suinea clibani

Nox inquinavit , ne teneræ nives

Oris flagrarent : quotve truncis

Naribus , aurifluâqua raptim

Tonsâ comarum mollitie glabram

Gessere calvo vertice simiam;

Ne sub decoræ frontis umbrâ  
 Idalius fruticaret ardor?  
 Hic sponte vulsa Lucia cominus  
 Vovit pudico vulnere palpebras.  
 Hic gemma sicanum relectis  
 Vila PAPHON mutilare mammis,  
 Ut se catenis fregit, & intimis  
 Gonzaga fibris fixit ahenco;  
 Calcaris ictus, huc jugalem  
 Flexit eques trabeatus axem.  
 Sortita Poenis excubias jubis  
 Daria, Poenas huc pepulit rotas:  
 Suique custodes Columba  
 Huc hilares agitavit ursas.  
 Quis nunc cruoris parcus in aream  
 Ditem trophæis flectere strenuas  
 Moretur alas? vel volatu  
 Pegaseo est superanda rupes.  
 Vocemus Austros. Æolias trahunt  
 Ad frena pennis vota fidelibus  
 Educta scintillis, SODALES,  
 Nec gelido ferienda morsu.  
 Totus pudicis fervet adhuc apex  
 Divum triumphis, cespite gemmeo  
 Ubique detrudente laurus,  
 Et rutilas sine labe palmas.  
 Parvæ premamus lactea Virgini  
 Jam porrigenti cominus ubera:  
 Extinguet hoc nectar profundis  
 Siqua repet Cytherea yenis.

APEL.

**APELLIS PALÆSTINI  
PENICILLUS.**

*Sive,*

**Ubique rerum DIVINUS AMOR  
expressus.**

**O D E X V I I .**

JAM pharetrato posuisse dorso  
Tela millenis operata palmis,  
Et triumphali religasle pictos  
Ilice casses  
Vidimus Numen. Viduatus arcu,  
Et face , & vincis , pharetrâque notos  
Respuit ludos AMOR , in peritum  
Versus Apellem.

Huc verecundum crocon , & rubens  
Fulgur Auroræ , superi , nivosis  
Ferte crystallis : spoliare fulvis  
Floribus Irim.

Pulcher augustas meditatus Ales  
Infulâ curas , potiora priscis  
Vota molitur , potiora partis  
Fata trophæis.

Artifex illi labor erudit  
Pollicis nutum comitatus , explet  
Signa DIVINI bene PENICILLI app-  
plexa colores.

Hinc salutandum dat ubique nostris  
Palpebris æther , dat ubique pontus  
Numen , & passim variata picto  
Gramine tellus.

Pandit Apriles hyacinthus ulnas ,  
Et fovet regem , fovet & pudicâ  
Delitescentem nive liliorum

Flora Tonantem.

Decoloratos miserata vultus  
Pingit exanguem granadilla solem ,  
Cui Palaestinos renovat cruento

Vere dolores.

Hinc adoratos alit illa vepres ,  
Et gravem telo feriente mitram ,  
Quæque nativo rubefecit ostro

Vulnera cuspis.

Astra jam norunt simulare flammis  
Alitis Divi sine labe frontem .  
Jussit hic stellas sibi purpuratam

Ferre tiaram.

Sic per immensum spatiatus axem  
Cancer obliquis secat astra chelis .  
Fulvus occurrit Leo : Lucidusque ap-

paret Orion.

Spumeis idem dominatus arvis  
Emicat mœstis Cynosura nautis :  
Penè turgescit , rutilisque serpens

Sibilat hydris.

Quid diu solers simulacra rerum  
Persequor Vates ? Latet ille clausis

Om.

Omnium venis , & ubique fixum  
Numen inhæret.

Flagrat in flammis ; tonat inquietis  
Fulminum claustris ; glaciatus ardor  
Fulget in gemmis ; & utrumque motis  
Fluctuat undis.

Quò vagam flectas aciem ; fugaces  
Siftet obtutus A M O R , innocentem  
Sponte facturus varià sub hac i-  
magine ludum.

Ut sibi nostros sociaret ignes ,  
Undique occursat , laqueumque visa  
Implicitat forma , teneroque vibrat  
Spicula vultu :

Qualis objecto speculo immorantes  
Sedulus tigres premit efficaci  
Fraude venator. Quid agam futurus  
Præda Tonantis ?

Nexiles odi pedicas , & omnes  
Retium nodos. Ubicunque pictum  
Videro Numen, capiar ; sacrasque in-  
cendar ad aras.



# HERCULES CHRISTIANUS IN HYDRAM.

*Sive,*

Domesticum cum vitiis bellum.

## O D E X V I I I .

**V**ictoricem vero ferreis  
 Bellantum galeis serpere lauream,  
 Qui tantum generosius  
 Hostiles Aquilas unguibus, & ducum  
 Exarimant gladiis latus  
 Secum nulla tamen bella decentius  
 Pugnaces in HYDRAS gerunt.  
 Num fregille juvat cornua Bosphoro,  
 Aeternumque rubentibus  
 Auroraë radiis figere dedecus;  
 Cum nos forte pudor premat  
 Imbelles vitiis, & veluti rudit  
 Argillæ genus arguat  
 Styx afflcta novis fervere præliis?  
**O** quicunque adamantinis  
 Inscribi superum liminibus voler,  
 Jam nunc se putet HERCULEM,  
 Qui pulchri sitiat Marris adorem!  
 Jam nos lerna domesticam  
 Eluctata luem provocat, & minax

Faſtus

Fastus ducere squameos  
Orbes , & tumidæ colla superbiax.  
Pugnandum prius est luto  
Affixis , & humi viribus ; ut suo  
Se quisquis nihilo tegat.  
Haud lapsum metuit , qui cubat infimâ  
Prisci pulveris areâ,  
Meriturque suam stratus imaginem.  
Quod si crinibus aureis  
Pellax HYDRA caput fertile muniit  
Furata haud inamabilem  
Sirenis faciem , quæ Cythereiis  
Vibret spicula palpebris ;  
Congressum timeat. Palma patet fuga.  
Tum septemgeminæ ferox  
Occurrat Scytalæ ; cùm malè concitam  
Plenis faucibus evomit  
Livoris rabiem ; vel stomachi graves  
Æstus objicit , haud secus  
Ac torquet Siculos Mulciber halitus.  
Irâ vindice fumeam  
Si bilem feriat , fregerit unico  
Ictu fulminis , obviam  
Lernæi capitis luxuriem. Quod ut  
Alcides speculabitur ,  
Clavam projiciet. mox genibus minor  
Illi beligeram feret ,  
Quam figi cuperet nubibus , insulam.

## JOCUS SATURNALITIUS,

IN CALVOS.

AD MARCUM GORDIANUM.

## ODE XIX.

**Q**UOD non flavicomam fers vertice,  
GORDIANE, sylvam,  
Cui fausta nubes imminens liquentem  
Excutiat Syriam, aut Cilices Jove saucio  
procellas;

Diris sequacem devoves senectam.  
At non illa tuæ cervicis ab intimo cerebrum,  
Altæque mentis nucleus revellit.

Externam fœdis tantum exuit aream vepretis,  
Quod lucis imber, siderumque fulgor  
Gemmeus afflaret radiis melioribus capacem  
Virtutis arcem, consilique sedem.

Frondea cæsaries steriles notat Iismari medullas  
Rudeisque venas pulchrioris Idæ.  
Effoditur calvis sub rupibus Indiae coruscum,  
Cui sœpe gryphes incubant, metallum.  
Mollibus exuviis animus memor expedire,  
frontem,

Canumque mento destinare vellus,  
Fert Gallis Druydas, sceptrisque Laconicis  
Lycurgos,  
Et Vaticanis Cassios habenis.

Jam-

Jamque olim calvo sub præside, patribusque  
calvis

Feliciores imperi secures

Eridanus vidit, qui tunc Clymeneidum vireatē  
Fortasse crinem populis torondit.

Nec toga calvitiem sibi vendicat; osculatur  
illam

Ferro Gradivus, cassidisque plumā

Imbelles Cytherea Phryges Vcnus indicat, co-  
marum;

Solers amicos educare fastus;

Seu modo cæsariem crinalibus inferat colubris;

Pexoque spiras mentiatur auto;

Seu Zephyri imperio doceat volitare defluen-  
tem

In terga fulvi verticis procellam.

At Scythiae calva agrestis, galcaque, sirijsque  
Durata flammis, stirisque brumæ

Invicto capitis potis est adamante mugientem  
Gravis pharetræ sustinere nimbum,

Aut Phrygias instar ferreæ trabis arietantis  
arces

Quassare septam turribus Cybellen.

Quid non molitur solidum sine frondibus ca-  
cumen.

Cælique nubes osculata Virtus?

Cirris nudus apex quandoq; Proserpinæ rapinis  
Insultat, Orco flagitante crinem.

Absalon curvâ malè pendulus esculo comatis  
Affine fatum frontibus reliquit,

Nos, MARCE, implumes excludat ut an-  
seres juventus,  
Ut depilatos simiae catellos;  
Dum buxus nostram nec fauci et aream, nec  
albâ  
Furfur pruinâ decolorat agrum;  
Dum nec degeneres nos arguat esse præferendis  
Fortuna fatis. Nam ruat vel æther;  
Sive dehiscat humus, CALVI haud muliebri-  
ter querentur:  
Dum, quos revellant, non habent capillos.

## TAURUS PERILLEUS.

*Sive,*

Malum sæpe, ac sæpius in auctores  
retortum.

## AD FLAVIUM ALIMENAM.

## ODE XX.

**E**xpende FLAVI cui facilem dedit  
Astræa libram num feriat magis  
Prurigo lœdendi se ipsam;  
An pavidum labefactet hostem?  
Ultrix voluptas melle suam lini  
Censet pharetram: sed furialis  
Exudat huic Mavors venenum,  
Quam Phario vomat angue Nilus.

Hy-

Hyblaea fulvi nectaris artifex  
 Inauspicatas vindicis ingenii  
 Sortita scintillas, eodem  
     Quo perimit, perit illa telo.  
 Ahena crebro vincula suis faber  
 Impacta flevit cruribus: & suum  
     Senfere mox vulnus puelli,  
     Quâ gladium tetigere palmâ,  
 In se minaces ultio pervicax  
 Retorquet hastas. Testis in Herculem  
     Imago projectum vicissim  
     Vi refugâ jaculata saxum.  
 Suo propinquas exitio fuit  
 Cyclops in urbes. Ætna ferox nequit  
     Sævire, ni sensim crematis  
     Diffluat interitura fibris.  
 Sic est. Satelles quisque sui tulit  
 Quod immerentes vulnificum nefas  
     Deflexit in cives. Perillus  
     Ære suo fibi fata cudit.

## ANGUIS EXCANTATUS.

Iracundiæ mollibus verbis delini-  
     tæ Symbolum.

## AD CÆSAREM OFELLUM.

### O D E    X X I .

**S**unt, quas cerastes squameus nusquam suo  
     Terruit angue plagas,  
     Alumnus innocentiae:

Quam-

Quamvis promatur , nesciam labi fidem  
 Servat , & innocuo  
     Pedem salutat osculo.  
 Humana quævis indoles par huic foret ,  
 CÆSAR OFELLE , solo ;  
     Si mitis ira surgeret.  
 At hæc Medusæ crinibns feracior  
     Pululat in Pharias ,  
         Gliscente spirâ , viperas .  
 Ultrix in ictus assilit , turget minis ,  
     Et furiale jecur  
         Centum Megæris asperat.  
 Frustra recides sibilæ collum jubæ :  
     Tonsilis instar hydræ  
         Fiet secando fertilis.  
 Immerge lymphis : sæviet palustribus  
     Irrequieta vadis ,  
         Novosque spirabit metus .  
 Absconde saxis : faxeos per obijces ?  
     Junior ut redeat ,  
         Senile pondus exuet.  
 Flammâ cavendum , ne ferociat magis .  
     Hinc solet in rabiem  
         Armare conceptam sitim.  
 Tantum susurrus næniæ mollis potest  
     Conciliare pigrum  
         Tristi soporem belluæ :  
 Ut auspicatis Maifus interluniis  
     Anguineam sobolem  
         Enervat offâ carminum .

Re-

Rerum soluta mollium málaciâ  
 Decidit asperitas,  
 Fractasque submittit minas.  
 Licit trisulco comminutus diffluat  
 Fulminis igne chalybs;  
 Vaginâ non timet Jovem,  
 Suaviatur lanceum turris latus  
 Quælibet ignivomis  
 Displosa tormentis pila.  
 Sic flectit iræ vindicis dementiam  
 Atticus ore lepor,  
 Blandique carmen eloquî.  
 Tum liquit Hydra virus, astrorum sacrâ  
 Tacta beneficiis,  
 Cum duxit amnem lacteum

### FIDEI CLASSICUM

Versipellibus, ac mendacibus viris  
 Aquam & ignem, ubique  
 gentium interdicentis.

### O D E   XXII.

**Æ**Què dedecet artifex  
 Calvum cæsaries; ac capitis nives  
 Fuci gratia decolor.  
 Mentiri docilis luxuriem comæ  
 Labem detegit ingenî  
 Et Graiis grávidam mercibus indolem.  
 Cur vulpecula Caspios  
 Rugitus simulet? cur tenerum melos,

Can-

**C**andentemque cycni togam  
 Poscat, qui erocitat plumeus **A**ethiops?  
**O** dissolvite callidum  
 Bifrontes animæ dedecus eloquî!  
 Linguae vena duplex fibris,  
 Et cautam cerebro nexuit anchoram.  
**H**aud vox naufraga mergitur,  
 Quæ consanguineam mordeat insulam.  
**A** se longius exulat  
 Qui discors animo est, semilacer velut  
**I**mpulsis Metius rotis  
 Hanc vafris sociam cana **FIDES** suâ  
**I**ncussit Nemesim **TUBA**.  
 Adjecit meritas exilio vices;  
**U**t, quo quisque foret loco,  
 Interdicta quies esset, & improbas  
 Mendacis juguli fores  
 Vindex obstrueret stamen araneæ.

**M A G N E S N A V I B U S**  
**O C E A N U M T R A I E C T U R I S**  
**O B L A T U S.**

*Sive,*

**R E G I N A V I R G O** animam  
 efflantium **P r a e s e s.**

**O D E** XXIII.

**U**ltra propinquum Nerea Gadibus  
 Quis ausus olim nauta liburnicam

*In-*

Impune solvisse, & frementis  
Oceanī superasse spumas,  
Nondum reperto, qui regeret rudes  
MAGNES Chimæras? omnis Atlantico  
Peribat alnus; seu palæmon,  
Seu premeret Panopea clayum.  
Immilis illic hæserat Atropos,  
Sectura ferro lina paventium  
Mergi carinarum, & cypressum  
Irreducī impositura malo.  
Neptunus Orco visus inhospitos  
Dedisse fluctus liquerat arbitrio  
Noctis tridentem: quo recussum  
Intremuit, gemuitque quondam  
Ponti veterum. Terruit Indicum  
Turpi latratu Cerberus Æolum;  
Torvumque bacchantes in antris  
Nereidum cubuere Diræ.  
Ubique pallor luteus, & ferox  
Ubique luctus propulit obvias  
Umbrasque, festinamque mutis  
Persephonen equitare phocis.  
Verum, profundi si pateant lacus,  
Inio stuperem gurgite flammeas  
Volvi procellas, & furentem  
Sulphureis Phlegetonta rivis.  
Audistis, ut jam mugiti horridis  
Cocytus hydris? ut caveâ strepunt  
Tractus catenarum, & frementum  
Vulnificæ furiarum habenæ,

Uncusque collo impactus , & intimis  
 Fibris nocentum : Non liquidus deest  
 Chalybs caminis , aut recurvo  
 Qui miseris premat ungue vultur.  
**H**eu , quo ruentes vidimus abieres ;  
**S**ic navigandum marmor Atlanticum  
 Lethique , fatorumque ludum  
 Velivolas dedit esse pinus ?  
**A**t feriaris cur modo fluctibus  
**I**raeque tristes , & domiti metus  
 Cessere , pacatoque magnus  
 Detonuit fragor ille ponto ?  
**J**am-jam caducâ tutius insulâ  
**M**ortalitatis solvimus anchoram ;  
 Blandoque luctamur volucres  
 Oceano properare Manes  
**N**il jam pericli est. Maxima Cælitum  
**F**it Diva Magnes atque eadem rates  
 Dignata complecti , resulfit  
 Per medios Cynosura fluctus.  
**Q**uin illa clavo sæpius incubat  
**T**utela præsens velaque Thraciis  
 Mulcet flabellis donec ultra  
 Putrem Abylam , lucteamque Thulem  
**A**ternitatis vinciat aureo in  
 Portu rudentes. Huc utinam mea ,  
**O** Virgo trudatur phaselas ,  
 Te dubiam moderante , fauces  
 Formidolosas inter , & aleam  
 Lethes , carinam ! Sic meritam tibi

Vovere permisso tabellam  
Virgineis religabo valvis.

## HUMANÆ INCOLUMITATIS EXCUBIÆ

*Sive,*

A minimis quibusque rebus canta  
Provisio.

## AD UGONEM SADOLETUM.

### O D E - XXIV.

Turgidam quamvis moderere , felix  
UGO , fortunam ; metuas sinistræ  
Sibilum , & sensim per humum prementem  
Signa quadrigam.

Sæpe plus parvâ nocet illa lœvæ  
Cassidis plumâ , furiale quàm si  
Torqueat fulmen , trepidamque cæcâ  
Nube procellam.

Naviges cautus : bîbit infideli  
Funus è rimâ ratis , obsequentem  
Quæ sibi sensit tumidâ latratam  
Doride scyllam.

Nauticæ pinus echeneis alas  
Sistit Ægeo ; licet usque ponto  
Thraciaë crispent animæ sereno  
Lina flabello.

Quod

Quod diu florens stetit , imbecilles  
Pallet ad morsus chalybum. vel ipsas  
Atterit sensim Latias rubigo e-  
pota secures.

Magna plerumque exigua teruntur  
Orbita fati : minuitque priscum  
Parva vis robur. Nihil est ubique im-  
mune periclis.

Exulant nido patriæ efferatis ;  
Muribus pulsi Megarae coloni.

In Phaselitas acuere cives

Spicula vespæ.

Fregit examen cyniphum Quirinam  
Romuli pubem ; simul ac Eoum  
Hasta Trajani rubefecit Euri

Limen , & iras

Pressit Auroræ , rapuitque Parehi  
Fræna , Romanis socianda rostris.

Proximum cuique est metuisse parvâ

Culpide vulnus.

Haud semel status culicum fusurro

Indici saltus fragor , atque Poeni  
Velleris terror , leo. vecta fulvis

Gloria plaustris

Vel coaxantum timuit querelas.

Inseret palmas generosus astris ,  
Qui Giganteum simul , & pusillum

Perculit hostem.

THES-

THESSALICÆ  
FASCINATIONIS  
AMULETUM.

*Sive,*

Enervandum laudum contemptus  
Adulatoris ingenium.

AD LAZARUM GALLIDORUM.

O D E    X X V.

NUM viperinis fœta vaporibus  
Tantum coruscant spicula palpebræ,  
Quæ Colchis, aut invisa Circe  
Gorgoneo jaculetur arcu?  
Portenta defunt? sunt sua Thessalæ  
Venena linguis, illita melleo  
Venena fupo; sed trisculco  
Eridycen ferientis hydri  
Pejora mórsu. Carmina dulcibus  
Intexta metris si semel audias;  
Languescet emollita Virtus,  
Et phaleris jugulata laudum  
Sernet labantem gloria poplitem.  
Euclide major vixit, & Appulo  
Vix cessit Archytæ, sagaci  
Qui radio sibi concolorem

M<sup>o</sup>.

Metitur umbram ; nec fugit infimo  
 Hærere Codro , callidus omnium  
     Librare venas , & faventes  
     Auriculis hebetare plausus.  
 Haud evagandum trans adamantinæ  
 Delubra mēntis. Temet inhospitum  
     Si redditis Atlantem dolosis  
     Artibus , ancipitique palpo  
 Vulgi obsequentiis , decipientium  
 Ludes feratum sibila , splendidos  
     Ludes latratus , & jocosam  
     Illecebris , thiasoque caudam.  
 Qui bladientum murmura nescius  
 Vitare , longas suavibus arriget  
     Aures Camœnis , si pusillam  
     Autoniam moderatur arcem ;  
 Dicitur ipsis penè Quiritibus  
 Sanxisse leges , non sine Romuli .  
     Numæque probro , consulentis  
     Ægeriam , tripodasque vatum.  
 Hostem Talerno turpiter uividum  
 Dejecit arcu ? Martis adorem ,  
     Plaususque vicisse , & paventem  
     Cyllaron attonitamque dicent  
 Stravisse Phœben : non secus ac suâ  
 Quondam vibratâ cuspide lucidas  
     Fertur tonantis officinæ  
     Lysimachus secuisse valvas :  
 Nec diffluentum fistitur hic lues ,  
     Laudumque tabes . trajicit alveum ,

Finesque nugaram. vel aureis  
 Velleribus , trabeâque , & ostro  
 Virtutis audax contegitur nefas,  
 Putrisque palpi dedecus. Indoles  
 Spirans Medusæos furores  
 Sacrilego perhibetur cœstro  
 Apex coruscæ mentis , & ingenii  
 Labem timentis. Proxima milviis  
 Libido prædæ , hæredis æquum  
 Aucupium repetentis omnes  
 Census avorum. Pressa calumniis .  
 Vulgique probris pagina , Gratiis  
 Lustrata Phocis , quæ leporum  
 Artificem vehat amne gazam.  
 Affixa venis dira Venus , Jovis  
 Adultus auto fertur honos , sagax  
 Fœdasse Bellonam , & calentes  
 Igne suo domuisse Divos.  
 Sic rore melleo leniter oblita  
 Fraudes bibuntur. LAZARE , tutius  
 Impune nostras occupabit  
 Vulnifico paliurus hamo  
 Armatus aures ; ne tumor eloqui  
 Turpes pharetrâ conjiciat rosas.  
 Ut cunque laus repat , timebit  
 Flora suos malefunda vepres.



N AN-

A N T I P H E R O N  
O R E T A N U S ,

Ob infirmam oculorum aciem , sux  
sibimet objectæ imaginis assiduus  
spectator.

*Ex Arist. & Cel. Rhodig. l. 22. cap. 26.  
Philautia symbolum.*

O D E   XXVI.

S I frontem liquido dimoveat gelu  
Narcissus , caveat fidere palpebris ;  
Cum vivacius afflant  
Hauustum lumina fascinum .  
Ne fiat , metuo , Parrhasius sui .  
Occurratque sibi tot speculantibus  
Quot Junonius ales  
In plumis oculos habet .  
Sic admissa putri lumine mollior  
Lanugo fatuam potat inertiam ,  
Neglectura decoram  
Pulchrae mentis adoream .  
O illi roseum plurimâ polluas  
Crinem canities ; & rutilum genis  
Florem scinde November  
Pleno vomere mensium .

CUS

Car peccet cupidâ luce , nec intimam  
Vestigare sui quærat imaginem ,

Quæ virtutis honesto

Se pictam radio cupit ?

Ah stultum pueri solvite lacrymis  
Pupillæ vitium . lacryma sospitem

Reddet , qui modo visis

Narcissus periit vadis.

## CHRISTIANI SOCRATIS SPECULUM.

*Sive ,*

Sepulcrum ad animi pulchritudinem  
concinnandam peridoneum.

## AD DEMETRIUM COLUMBAM.

### O D E   XXVII.

**N**E ruga frontem , neve comam premat  
Incomptus error , lævia consulis

Crystalla , Demetri , sed idem .

Ne fatuis maculere probris ,

Ignavus hæres . Cur fragili fides

Commisa vitro est ? te simulat Gygen ,

Sed celat effossura valles

Lustra genis , sociasque flavi

Crinis pruinas . SOCRATE cautior

Veras negantem rebus imagines

Illide gemmam , quā sepulchri  
 Marmor hiat SPECULUMQUE promis.  
 Mortalitati concolor. ad putres  
 Hic forma seſe comet honestius  
 Umbras , & horrefcet profanos  
 Ad cinerum simulacula cultus.

---

## CARDUUS LIBANI,

Inanis Jaſtantiae typus.

AD CODRUM BOVILLIUM.

### O D E XXVIII.

**C**ristatam cerebro, CODRE, nec inclitis  
 Implexam meritis ponē superbiam.  
 Elato tumidus vertice vix levem  
 Umbræ projicis unciam.  
 Non si clara tuæ mœria patriæ  
 Pallas laurigero presserit effuso,  
 Aut fracto superum cardine , viserit  
 Imbri Juppiter aureo,  
 Insanire licet. Quælibet educat  
 Ranas magna palus. Qui Calydonios  
 Claudit lucus apros , exiguis rudem  
 Formicis caveam dedit.  
 Æther ipse , domus regia siderum ,  
 Admittit rutilo rure BOVILLIOS.  
 Nam cur ſæpe ſuo rusticus excubat  
 Taurino Arctophylax jugo?

Non

Non urbs, CODRE, suos evicit incolas;  
Si laudum steriles inveniat viros.

Quantumvis Ithacæ fuscus erat, tulit  
Claram fumus Ulyssea.

Est natale solum, ceu LIBANUS ferax  
Cedrisque, & rigidis undique CARDUIS.  
Illi fronde comam nutrit; at hispidum  
Falci dedecus immolat.

HISTRIONIS ROSCII  
SIMIAM PALUDATAM  
AGENTIS LUDUS.

Quo ostenditur.

Reipublicæ regimen ineptis viris  
indebitum.

AD CURIAM, Sanctissimis legibus  
optimè constitutam.

O D E XXIX.

NUNC ô quiescas, CURIA, serijs  
Avulsa curis (nam solidos licet  
Quandoque detruncare soles,

Et tetricas hilatare rugas  
Ludi sereno) ROSCIUS hic adest,  
Qui purpuratum vellus ad infimos  
Fert usque talos, dum togatam  
SIMIOLI rapit ore larvam.

Septemviratus se simulat ducem,  
 Faſtuque turget ſpumeus **HISTRIO**.  
 Jovem ſecundum ni vocabis,  
 Fulmineo ferieris iectu.  
 Compelſe plauſum : mutus obambulat ;  
 Suamque vitro ſpectat imaginem.  
 Peribis , ipſo pulchriorem  
     Ni perhibes Ganymede flavo.  
 Cur rodit ungues ? ſeria cogitat :  
 Numâque major , magna Quiritibus  
     Dat jura , membranis Lycurgi,  
     Vel latiis peraranda ceris.  
 Si forte garrit , ſtridet acutius,  
 Quâm pica ſylvis. ni jugulo velis  
     Audire porrecto loquentem ,  
     Sifypium patiere preſſâ  
 Cervice pondus. Sed Tyrianthina  
 Vis noſſe quodnam **ROSCIUS** intoga  
     Festinet irridere monſtrum ?  
     Spurge nuces ; puerilè Mimus  
 Sefe efferendo feffus , ad obviam  
 Curret rapinam. Sic fatuis , licet  
     Ostro paludatis , monebit  
     Patricios fore probra fasces.

):( o ):(

PA-

PARADOXUM  
THEO-POLITICON.

In sublime evehitur , qui in sui  
Nihilum descendit.

AD SIMEONEM ROSAM.

ODE XXX.

**E**rigi poscis , SIMEON , avitâ  
Stemmatum pennâ ? patiere fatum  
Icari , molles feriente Phœbi  
Fulgure ceras.

Editus celsâ fluvius Pyrene  
Fertur in valles : petijsset idem  
Summa , si clausus foret , infimâque e-  
rumperet urnâ.

Qui diu secum latuit , supremam  
Attigit metam : tumefactus aurâ  
Mobilis vulgi , medio reliquit  
Pulvere palmarum.

Quò magis fibras agit in profundum ,  
Altius verrit cyparissus imbræ.  
E solo vultus vapor in supernos  
Emicat ignes.

Præfuit Brutus Latio , litatis  
Osculo glebis. Trabeatus olim  
Venit ad fasces , ubi vertit agros  
Vomere , Consul.

Sæpe nox fuscis patefecit alis  
 Divites gemmas : eadem diurnâ  
 Luce neglectas aliquot corohat  
 Ignibus herbas.  
 Ergo natales , R O S A , vise cunas  
 Et tui vallem Nihili : resurges  
 Inde , ceu vivax tumuli Sabæo è  
 Semine Phœnix.

## POCULUM GOLGOTHEUM.

*Sive,*

Sitis C H R I S T I exemplo tolerandæ  
 Voluptas.

## O D E XXXI.

C U R Formiani dolia diluam  
 Mellis lagenâ , vel Brasilæ nivis  
 Pellam æstatem palato  
 Molle gelu , rutilisve poscam  
 Tagum fluentis ? Heu sitit , & siti  
 C H R I S T U S propinat fella nocentibus  
 Imbuta succis. Num repressit  
 Nympha suos Solymœa rivos ?  
 An tristis urnam fregit Aquarius ,  
 Pulsusque Cœlo est ? Hæccine Numini  
 Conflatur , ô Divi , Voluptas  
 Golgotheis operata prælis ?  
 Parvamne clavis ebibit , ebibit  
 Venam dolorum , quod aisi luridis

Nol-

Noller venenis jam propinquas  
 Exitio satiare fauces?  
 An forte Divi vulnera mitius  
 His leniuntur fontibus? ô mihi  
 Nivale nectar! ô pudici  
 Nazareâ medicatus Hyblâ  
 Latex Amoris! Saucius huc fibras  
 Figente telo cervus agam fitim;  
 Hic labra demergam, hic Tonantis  
 Fata bibam, iliademque luctus  
 Urgentis ipsum fere nigrautibus  
 Solem quadrigis. Nempe supernata,  
 Hæretque fôspitalis hoc in  
 Felle salus, & in hanc vicissim  
 Sese Voluptas mergit Amystidem.  
 Quâ dum potiri sedulus occupat,  
 E fonte Bethlæo recusat  
 Isaciis citharœdus undam.  
 Hausere fulvi nectaris uberes  
 Mellisque rivos, qui Solymeias  
 In pocla fuderunt cicutas,  
 Et Pharias didicere baccas,  
 Aut quotquot usquam falx Marcoticas  
 Collegit uvas, è genialibus  
 Arcere mensis. Me Canopus,  
 Et Lybicâ coquat Auster irâ.  
 Me latret amens Sirius, abnuam  
 Siticulosus dulcia. Felleum  
 Poturus hunc Cratera, ducam  
 Hydrochoi potioris amnem.

## PLUVIA CINERUM.

*Sive,*

Lethi necessitas.

AD HECTOREM PANDOLFINUM,

O D E XXXII.

**H**AUD consanguineâ genus  
Argillâ pudeat ducere , vivimus  
Diffingenda semel domus.

Aut morbi vitio labimur , aut pilâ  
Fati missilis , aut super-  
injectâ senij grandine sternimur.

Post certas hyemes , solo

Acclinatus apex corruet , & suum

**A**gnoscer cinerem cinis;

Qui postquam PLUVIO PULVERE decidit,  
Erexit Samios lares.

PANDOLFINE , cave Dædaleam procax  
Culpes artificis manum.

Ipsum poscit opus fistile frangier.

Quidquid Luna suo rigat

Argento , luteum est ; coniferæ faeis,  
Et taxi mutilæ ferax.

Humanæ soboli gratior alea est  
Extingui tumulo semel ,

Quām non exanimem perpetuò pati

Mor.

Mortalis cariem togæ.

Æternam senij quis glaciem ferat,  
Trudentemque Epimethea

Per tot secla febres ? ut Phrygius senex  
Raucam cessit in alitem,

Laxæ concinuit tædia sarcinæ.

Sic pœnæ impatiens suæ  
Sudavit Niobe saxeа lacrymas.

Emergas opus est freto,

Si demum cupias otia littorum

Nil magnum tibi suadeo.

Ipse es , erede mihi , navita , carbasus ,  
Velox remigium , & ratis :

Componas feretro , ceu thalamo , latus :

Letho finitimus sopor

Momento patrias ducet ad insulas.

## ERYNNIS NOCTURNA.

*Sive ,*

Culex somno Vatis infestus.

## AD MARULLUM VIPERANUM.

### O D E   XXXIII.

CUR sæpe culmis incubans,nunquam vocer  
Langidus Endymion ,  
Mersis sopore palpebris ,

N 6

Ro-

Rogas MARULLE, nulla præsertim gravis  
 Cum mihi cura premat  
 Accline frontis otium?  
 Nam, nec profano verticem torquet metu  
 Circumeunda Syris  
 Malea rupes mercibus;  
 Nec arefactis Evius langaens botris;  
 Nec sine fruge Ceres  
 Fletura fraudes messium.  
 Securus otī conquiescerem pigrā,  
 Quam populata seges  
 Farsit capillis, culcitrā;  
 Ni me supino desidem toro redux  
 E Phlegetonte culex  
 Ter usque, & usque laderet.  
 Sic se, pusillæ classico proboscidis,  
 Martis ad arma ciet,  
 Somnumque terret sibilo.  
 Mox bellicosus humidæ noctis cliens,  
 Ceu breve fulmen agit  
 Dotale rostri spiculum;  
 Teloque summa narium, & summas quater  
 Vellicat auriculas,  
 Hæretque totus vulneri  
 Tenebriscosus helluo; donec velut  
 Putris hirudo sitim  
 Hausto cruento deleaf.  
 Quòd si fragore territus carpit fugam;  
 Per latebrosa domus  
 Circumvolat fastigia.

Dein

Dein more Parthi colligentis e suâ  
Vim , rabiemque fugâ;  
Citatus ad prædam redit.  
Hunc complicatis sœpe stragulis ferox  
Illaqueare , diu  
Venator insomnis fui:  
Sensique , quamvis fingerem ronchos graves.  
Non semel ipse manus  
Stridente transfixas acu.  
Sic forte nidis advolantibus struit  
Semisopita dolos  
Captura vulpes passerem.  
Si ficta verum fert imago Morphæa ;  
Evigilare statim  
Compellor hostis buccinâ,  
Atque integrare millies marcentibus  
Bellâ superciliis,  
Nocturnus umbrarum jocus.  
Non , amputatis lumen membranulis.  
Regulus in Lybicâ ,  
Velut alter Ixion , rotâ  
Tam luctuosas pertulit diu vices :  
Cogor ut ipse pati  
Perenne flagrum somniis.



SA-

## SALUTARIS INSANIA.

*Sive,*

Nosocomium piè , sancteque deli-  
rantum , sacra quadam  
concionē

A P. ANTONIO CASALETTO  
Soc. Jes. referatum.

## ODE XXXIV.

**Q**UID me Thespiacis juvat  
Insanire choris , si citharam minax  
Fregit Pegasus unguлā ,  
Serpentemque comis Phocidos arbiter  
Vellit Phœbus adorem ?  
Hæc sit justa meæ pœna proterviæ .  
Quæ nondum didicit piis  
Enutrire lyræ vota furoribus.  
En quām dulce furentium ;  
ANTONI , reseras atria Cælitum ;  
Seu tristi stimulo dolor ,  
Seu miti jaculo figat amor latus.  
Pars pro Bistonie chely  
Nudum pectus habet , quod Rhodopeio  
Saxi verbere molliat ,  
Et tunsis modulos suscitet iliis.  
Pars densum fruticantibus  
Vepretis latitat , nec renuit sacris

Insignire caput rubis;  
Ne desit laceris laurea crinibus.  
Indignantibus in suas  
Pars luctata genas unguibus , elicir  
Pigro è lumine lacrymas;  
Quæ Cœli memorem pelliciant sitim.  
Hos Arctos glacialibus  
Sic urget pedicis ; ut radiantium  
Astrorum thiasis suas  
Adnectant chores. Hi Libyæ sinu  
Torrentur potioribus,  
Quos fert æthereus Mulciber , ignibus.  
O Amphionum melos  
Ut fletu referunt , & sonitu precum  
Concinnat coëuntibus  
Hinc & sidereis inde coralliis  
Pulchram crinibus infulam!  
Sic illam sitiunt , ut vigil excubet  
Nocturnis oculus lucris,  
Et frangat lacrymâ solis inertiam.  
Quid ? quod nil paveant minas  
Rugitus Pharij ? nil ferientium  
Telorum volucres metus ?  
Nil plumbi liquidum fulmen , & æreis  
Armatam tribulis rotam ?  
Balatum teneri velleris exprimunt  
Inclusi licet igneo  
Mugitu pecudis. Quin male sauciis  
Inter verbera cruribus  
In flamas saliunt , quas prius osculo.

Am-

Amplexuque suo fovent.  
 Ceu nimbis pluvias cælitibus rosas.  
**O** vis prodigialium  
 Tedarum patiens ! ô animi furor,  
 Aflatæque Deo faces!  
 Ut vestris cupio mergier ignibus !  
 Nam , si tam juvat æmulis  
 Hæc spectacula meis verrere palpebris  
 Ipsum proh quid erit piis  
 Succensam facibus vivere victimam ?

---

### S T O I C A V A T I S P E R O R A T I O.

*Sive,*

Ad continentiam in omni victus,  
 cultuque corporis servandam  
 Carmen Protepticon.

### A D O N E S I M U M R I P A M.

#### O D E    X X X V.

**O** Portet ut sis pauper , ONESIME ,  
 Aut sponte vivas inter opes inops ;  
 Si mentis audax poscis in su-  
 blime rapi , docilique læves  
 Nodare plumas ingenio. Piger  
 Crateras inter Mygdonios stupet

Ob.

Obtutus , & perculta flavo  
Mens animi sterilescit auro.  
Affuetus ansæ fictilis urcei  
Dignam Prometheus sustinet indolem,  
Quæ nollit ad summum faburrâ  
Multiplici satiare luxum ;  
Ne lapsus astris vividus ingenî  
Languescat ardor. pinguis ubi tumet  
Hydrops inexpletus sagittæ,  
Dat jugulum ferienda Pallas.  
Milvi voracis rostra Philoxenus .  
Charybdis alvum , colla gruis petat :  
Tu , RIPA , ridebis Protervos  
Tam fatui nebulonis ignes.  
Num , quò voremus , vivitur ? an satis  
Superque nobis , quod bene fulciat  
Mortalitatis luctuosum ,  
Ne titubet pereatque , pondus.  
Arcana quondam vis medicaminum  
Latebat herbis ; queis Podalirius  
Aut vulnus emollire posset ,  
Aut pluviis inhibere largum  
Plagis cruentem : multiplices modo  
Laxavit usus ; firmior artibus  
Postquam valetudo recessit  
Ambiguis labefacta cœnis.  
Hinc turpis , ipsa nec macie minor ,  
Suffusus ori pallor . & in cutem  
Admissa bilis , quique nervos  
Solvit iners habet atque torpor

Peculiares hos sibi flagitat  
Census , nepotum luxus adulteras  
Edoctus absorbere baccas ,  
Et phialæ glacialis Hyblam.  
Natura parvo culta , frequentium  
Silere cogit jura Machaonum :  
Nec pallet exundantis alvi in-  
temperiem , maculamque vultus.  
Intaminatis viribus innocens  
Accedet altae mentis apex , suâ  
Quæ possit irridere fastum  
E speculâ , fatuasque vulgi  
Terrere curas. Num Tyrio sopor  
Mulcetur ostro ? num Boreæ nives  
Tantum repelluntur lacernis ,  
Quæ latiis tuinuere clavis ?  
Seu piëta fulvis rheda coralliis ,  
Seu te sabinis plaustra vehant rotis ;  
Quid , RIPA , refert ? five gemmâ ,  
Sive rudi madeas culullo ,  
Par est voluptas. Disce superbiam  
Calcare lúxus , non humiliis tuæ  
Auriga Virtutis. Decoras  
Ille tulit super astra bigas ,  
Qui sponte rerum pauper , ad improbos  
Expavit usus : & rigidus suo  
Cavit sepulcro , ne Canopi  
Luxuries macularet urnam.

PHOE-

## PHOENIX SOLYMEUS.

*Sive,*DIVINUS AMOR E TUMULO  
REDIVIVUS.

## DITHYRAMBUS

*In anniversario CHRISTI reviviscentis  
die emodulatus.*

In gratiam Excellentissimi  
Dom. D. FRANCISCI MORRA,  
Principis Buccherij,  
& Castrorai.

## ODE XXXVI.

HUC retorqueat reclines  
Sina palmas, & propinquis  
Vulsa collibus laboret  
Laurus aureum Tonantis  
Oscularier sepulchrum.  
Quo recētibus pharetris icta mors extabuit.  
Num quid usquam præliaris  
Fulmen æreum Gradivi  
Majus edidit trophæum?  
Vidit hīc fractos Megæris  
Compedita styx cerafas,  
Ex trifaucibus fragorem saucium latratibus.

Pref.

Pressit insolitus hiulcas  
 Terror Umrus : otiosis  
 Marcer Atropos quasillis,  
 Et sororibus propinat  
 Anguis ignei papillam:  
 Ipsi Lethe funeravit poculis **oblivia.**  
 Vulnus asperæ bipennis  
 Sensit Orcus , cùm trabali  
 Ere fixus hæsit Ales,  
 Qui sequacibus pyropis  
 Astra compserant corollam;  
 Proque pennis destinarant iridis monilia  
 Heu cruentos ille vepres,  
 Flagra , cuspides , & hastam  
 Passus occidit ; nivosa  
 Ceu revellitur procella  
 Gaza veris , vel rubenti  
 Sauciatur æstuantis sirijs phalaricæ.  
 Tunc soluta mole rerum  
 Bruma luctus intonatis  
 Tristè mugitur cavernis,  
 Palluitque lacrymosis  
 Luna guttis , & remensum  
 Sol Olympum sordidatis tertuit jugalibus.  
 At quis artifex Amoris  
 Numen abnuat fateri?  
 Ille dumis , ferreoque  
 Usus unco pro fabæi  
 Messe ruris , & deorsum  
 Decidentibus Cilissæ frondis auro lacrymis;

Se-

Semet intimis cremandum  
Sponte creditit favillis.  
E rogalī mox feretro  
Ales igneum soporem  
Fregit, & perennioris

Incitatus ad volandum limen ævi contigit  
travit illi purpuratis  
Hinc, & hinc iter rosetis  
Pronus æther ; quaque vicit  
Astra PHOENIX, fulgurantium  
Fudit imbreem spiculorum,

Et rubentibus refertam grandinem corallias.  
Doris ætheris fragorem  
Æmulata, curva sepsit  
Regna littorum smaragdis,  
Spumeoque ter cachinno  
Solvit undas, & decentes

Fluctantibus choreas imperavit insulis.  
Nutat interim comatā  
Fronte tellus, qua liquentem  
Fudit Atticam fluentis ;  
Terque montium canoris,  
Et strepentium profundis

Plausit alitis triumpho vallium celestis matris,  
Ut volucres ille cristas  
Pingit auro. plumeamque at-  
tollit irin ! ut peremptæ  
Mortis explicat trophæum !  
Ut cruento flagrat ostro ,  
Deq; vulnerum pyropis quina torquet sidera ?

O

310 LYRICORUM

O quis ardui volatus  
Cultor æmulus, lacesiat  
Orbitas Etesiarum;  
Perque nubes, perque pictos  
Flore flammeo novales  
Aucupetur alta prædæ nobilis vestigia!  
At coercet evagantem  
Tristis Africus quadrigam.  
Num caduco fixa limo  
Mens inhæret, è coruscis  
Pulsa claustris; & secundis  
Segnis aurigare nescit evehi Favoniis?  
Ergo Numinis SEPULCRO  
Cur adurier moramur?  
Affer huc Ales pharetram,  
Myrrheæque vim favillæ.  
Ustulatus hinc resurgam.  
Qui me poscit hospitalis nidus astris ful-  
gurat.



LIBER